



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

34. Quoadusque redderet vniuersum debitum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

leuia peccata quibus optimus quisque non caret: sed sunt haud dubiè illa peccata quæ cum salute & iustitia stare non possunt. Idcirco enim Christus dixit, si in huiusmodi peccans correptionem nostram audierit, quòd *lucrati fuerimus fratrem nostrum*: periturum videlicet si non audiisset se, seque emendasset. Propter leuia autem & quotidiana peccata, quibus optimus quisque non caret, nemo peribit: nisi fortè & optimus quisque perire debeat. Sunt igitur etiam ingentia peccata, quæ crimina propriè vocamus, fratribus nostris perpetuò ignoscenda, quantumcunque multa & sepius repetita, si vel à nobis toties correpti sese emendant, vel sua sponte toties veniã rogauerint, quã conditionem Christus in sequenti parabola adiecit. Ut propterea hæc Christi doctrina non peccandi licentiã, sed pœnitentiæ fructum, nostrãque erga proximos charitatem perpetuam ac necessariam doceat.

34. *Quoadusque redderet vniuersum debitum.*

TAXAT hoc loco Catholicos Calvinus, & ait. *Ridiculi sunt Papistæ, dum ex aduerbio, Quisque, purgatorium ignem eliciunt. Certum enim est, mortem eternam hic à Christo notari, non penam temporalem qua Dei iudicio satisfiat.* Hec ille. Atturè homo nequam generaliter loquitur, sicut dolosus versari solet in generalibus: sed neminem profert Catholicum scriptorem, qui hæc Christi verba ad purgatorium accommodet. Hic illi perpetuus in his suis commentarijs ludus est. Accusat Catholicos interpretationis falsæ, sed nullum scriptorem Catholicum qui sic interpretetur profert. Quæ est maledica contumelia, non legitima accu-

Calumnia
purida re-
pellitur.

accusatio. Ego verò in nullo adhuc scriptore Catholico aduerrere potui, hunc locum ad purgatorium accommodari. Fefellit fortè Calvinū alius similis locus Matth. 5. vbi dicit Christus. *Non exies inde donec reddas nouissimam quadrantem.* Hunc enim sanè locum ad purgatorium applicari posse disputant interdum Catholici, & inter alios Robertus Bellarminus satis copiosè & accuratè. Controuerf. tom. 1. Controuerf. 5. lib. 1. cap. 4. de purgatorio. Et de hoc loco suprà Caluino prolixius latifecimus, vbi prolixius debacchatur.

IN MATTHÆI CAP. 19.

6. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

ARRIPIT hoc loco Calvinus, vt in tota passim quam facit sacri Euangelij expositione, Catholicos taxandi ac reprehendendi occasionem. Quæ seu hic seu alibi si iusta foret, laudem mereretur veritatis defensio. Nunc quum putidas calumnias effutiat, nec illè à nobis negligendè sunt, quia simplici lectori imponitur, & Christi Ecclesia diffamatur; & docet præterea nos quæ contra hæreticos modernos passim valent, vt ea diligenter obseruemus: sicut solent mali mores bonis legibus causam dare. Ait igitur hoc loco. *Latius extendi hæc Christi doctrina potest. Papistæ Ecclesiam à Christo Capite suo auulsam nobis fingentes, truncum & mutilum nobis relinquunt corpus. In sacra Cæna quæm Christus panem vino coniunxerit, vsu casualis totam plebem priuare ausi sunt. His diabolicis corruptelis opponere licebit: Quod Deus copulauit, homo non separet.* Hæc ille. Monuit nos cauillator impotens cauil.